

Nicolaus Schütze Joachim Bolte

Disputatio Iuridica De Personis Et Praeparatoriis Iudiciorum Principalioribus

Rostochi[i]: Kilius, 1646


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731862996>

Druck Freier  Zugang



Personen und vorbereitende
wichtige Grundsätze der Gerichte
(Gericht = Urteil!).

Schütze Bolte . 16
R. U. Jur. 1646.



60

DISPUTATIO JURIDICA
 DE
PERSONIS ET
 PRÆPARATORIIS JUDI-
 CIORUM PRINCIPALIO-
 RIBUS.

Quam

DEO OPT. MAX. DIRIGENTE.

*Consensu Amplissima in Incluta Varniana Juri-
 dica Facultatis.*

PRÆSIDE

VIRO

Magnifico, Amplissimo, Consultissimo,

D. N. NICOLAO Schützen / J. U. D.

Codicis Professore, p. t. Academiae Re-

ctore Magnifico, & Facultatis Juridicae Decano

Spectabili, Capituli Lubecensis Syndico dignif-

simo, Praeceptore & Fautore suo ætatem

venerando,

Publica disquisitioni submittit

JOACHIM Volte / Wolg. Pom.

Ad diem 28. Mart. in Auditorio Majori

horis matutinis

••(**)••

ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILL, Acad. Typogr. Anno 1646.

1646





Σὺν Θεῷ.

AD id merito contendimus omni conamine, ubi consistere noster animus & in quo velut fine possit acquiescere. Cum jam sanctissima Legalis sapientia, ut eam vocat *Ulp. l. 1. §. 1. ff. de Extraord. Cogn.* hunc sibi habeat finem propositum, ut, quomodo in iudicio congruis actionibus certari debeat, & quæ forma sit iudiciorum, doceamur; non abs re facturi videmur, si circa hanc Materiam ut longè frequentissimam simul ac utilissimam impensius occupemur. DEO ergo auctore nostras gubernante actiones. *p. l. 1. pr. C. de V. J. Enucl.* ex quo omnia nostra dependere & ad quem respicere competit *Nov. 119. in pr.* agredimur hoc negotium, eumq; ut non modo huius sed omnis nostri laboris principium medium & terminus esse velit. *d. Nov.* rogamus. Non sumemus autem nobis pertractandam universam iudiciorum Materiam: eam etenim tam paucis complecti pagellis admodum foret difficile, sed ex quibus Personis Iudicium constituitur, & Præparatoria ejusdem paucis sumus hac vice illustraturi.

CONCLUSIO I.



Um Definitio sit Oratio substantiam cuiusq; rei significans, *Accurs. in l. Omnis Definitio ff. de R. J. significandarum* autem rerum gratiâ nomina sint inventa, § *si quis in nomine, l. de Logar. l. 10. C. de Ing. manum.* Hinc de nomine nos prius convenit esse certos, quam ad rei pertractationē descendamus.

2. Habet Iudicii Vocabulum varias significationes & denotat. 1. Actionem; sic dicitur Actio finium regundorum &c. *l. Iudicium 9. ff. Fin. Reg.* 2. Litem seu Controversiam, sic Iudicium dicitur pendere de bonis

A 2

aut

aut hereditate, l. 1. §. 2. ff. ad SC. Treb. 3. Auctoritatem; sic Causæ Spirituales non nisi Ecclesiastico Judicio valent definiri, c. quanto, de Judic. 4. Forum; sic Judicium dicitur vel Seculare vel Ecclesiasticum, c. 17. de Jud. 5. Arbitrium l. 18. ff. de Recept. qui arbitr. 6. Ultimam Voluntatem; sic passim in Jure dicuntur suprema l. 5. C. de Test. Mil. postrema, l. 15. C. de Testam. Novissima l. 3. quemadmodum. test. aper. Testantium, l. 7. C. de Inst. & Subst. Mortuorum judicia d. l. 15. 7. Discretionem & Usus Rationis; sic Impubes judicio carere dicitur, l. 12. §. 2. ff. de Jud. 8. Discussionem. i.e. ipsam Causæ Examinationem c. Forus 10. de V. S. 9. Potestatem judicandi; sic Judiciū solvi dicitur jubente eo qui judicare jusserat, l. 38 ff. de Judic. 10. Tandem capitur pro Judiciario Processu & rei litigiosæ disceptatione ac definitione. Et hæc est hujus loci propria. Plures etiam hujus Vocabuli significationes exhibent Doctores. Vide Schard. in Lex. suo in V. Judicium & Duar. in princ. de Jud. Marant. in suo speculo aureo.

3. Definitione ergo Nominis sic inspecta, ad Rei transitus Definitionem. Et est Judicium, Legitima Rei controversæ inter litigantes apud Judicem disceptatio & adjudicatio, Harpr. in Proc. Jud. disp. 1. concl. 2. Arn. de Reig. in Proc. Jud. disp. 1. Prop. 3. Wesemb. Parat. de Judic. ff. n. s. C. n. 2.

4. Distributio Judiciorum varia est. Nam I. Ratione Objecti dividitur in Publicum & Privatum, l. 1. ff. de Prævar. l. 7. ff. de Jud. Publ. Hæc Publica Judicia, quæ inde etiam dicuntur, quod pateant omnibus, l. 30 ff. ad L. Corn. de Fals. l. quamvis 30. C. ad L. Jul. de Adult. aut conservandæ publicæ utilitatis gratia instituuntur, & dicuntur Popularia, quibus summus jus populus tuetur, l. 1. ff. de Popul. Action. Wesemb. parat. ff. h. t. aut vindicandi publici interesse causa peraguntur, & dicuntur Criminalia, quibus delicta publice vindicantur, & sunt hæc vel Capitalia; quibus mors vel naturalis vel civilis irrogatur, l. 2. ff. de Publ. Jud. vel non Capitalia, eaq; vel Corporalia, ubi Corporis coercitio aliqua intervenit; aut Pecuniaria, ubi multa fisco applicanda imponitur, d. l. 2. Vult. l. 2. J. R. c. 25. Hæc Criminalia à Criminibus dicuntur, quæ delictis opponunt Juri, ita ut Crimine noteter Commissum quo Resp. læditur; Delicto privata noxia. Sed hæc interdum confundi patet ex l. 1. §. fin ff. de Penis. Privata Judicia in quibus agitur de Jure hominis privato; & tum vel rei familiaris, quo casu civile est Judicium, vel vindictæ causa ad poenam vel pecuniariam vel corporalem infligendam Vult. d. l.

5. II. R. 2.

5. II. Ratione Formæ est vel Ordinarium vel Extraordinarium. Ordinarium, in quo modus & Ordo rem Controversam tractandi solemnissimus & usitatus plenarie observatur, unde etiam Plenarium dicitur. Hodie *Secundum Justin.* judicia ordinaria in usu esse desierunt, *pr. J. de succ. subl.* quia formulæ Syllabarum aucupatione insidiantes per Constantinum sunt sublatae *l. 1. C. de Form. & Impetr. s. fin. J. de Interd.* nisi quod eatenus maneant Ordinaria, quia secundum Ordinem novi Judicii à Judice ordinario peraguntur, *Marantb. p. 4. dist. 5. n. 1. Arn. a. Reig. d. l. propof. 5.* Extraordinarium est in quo forma usitata non observatur, sed præter citationem necessariasq; probationes reliqua juris solemnitas quiescunt. Et cum sic de Plano res agitur summarium dicitur, *Harp. disp. 1. concl. 9. Vult. d. c. 25. in fin.* Sed sæpe fit ut cum ita de plano proceditur *κατὰ πλάνην ἢ ἀγνοίαν ἢ ὑπαρξίαν*, i. e. per errorem ignorantiam & fordes judicis, *l. 8. & 15. C. de Evid. Gothofr. ibid.* pars altera lædatur.

6. Alias Judiciorum divisiones; ut quando dividitur in Universale Generale & Singulare. Petitorium & Possessorium. Reale Personale & Mixtum, &c. vide passim apud Dd. *Wesemb. ff. & C. de Jud. Arn. d. Reig. d. l. prop. 7. & seqq.*

7. Personæ ad Judicium constituendum tres Principales requiruntur Actor, Reus & Judex, *c. Forum 10. de V. S.* Nec obest, quod interdum ex Officio in delictum aliquod Magistratus inquirat, atq; ita Actoris vicem sustineat; nam propterea non disjunctum esse tres personæ, cum eo casu vel procurator Fisci contra Reum prodit, vel alius Actor constituitur. *Vult. l. 2. c. 1.* Reliquæ, quæ aut litigantibus adminiculum præbent personæ, ut Advocati & Procuratores; aut Judici ad sistunt, ut Assesores, Tabelliones, scribæ, Apparitores; aut alias ad certitudinem rei investigandam adhibentur, ut Testes; non principaliter ad Judicii constitutionem requiruntur. *Wesemb. ff. de Jud. n. 9. Vult. d. l. sub fin. Arn. d. Reig. d. l. prop. 12.*

8. Actor ab agendo dicitur; non quod cessantes ad judicem agat ut voluit *Theoph. ad. S. 1. J. de Act.* sed quod actionem intendit. Hic, quod ad initium attinet, semper est volens, invitus nunquam. *l. un. C. ut nemo inv. agere cog.* ubi tamen semel cœpit non potest citra Rei consensum desistere. *Vult. d. l. Sübisch Recht tit. de Conv. & Rev. art. 1. & 2.* Est ergo Actor qui actionem proponit & prior ad judicem pro-

vocat *l. 29. ff. de Jud.* Accusator etiam vocatur, quasi Causator, quia ad causam vocat eum, quem actione tangit. *d. c. forus l. qui accusare C. de Edendo.* Propriè tamen Accusatio est maleficii alicujus ad judicem delatio ad vindictam publicam solenniter facta. Ergo impropriè pro civili Actione ponitur *r. r. ff. de Accus. & Inscr.*

9. Reus à re, quæ petitur & de qua disceptatio est, nuncupatus, *d. c. forus.* est, qui patitur & propulsat actionem, sive a quo petitur. *l. 33. ff. de R. l. pars fugiens alias dicitur l. properandum 13. §. 2. C. de Jud. pars pulsata l. pen. in pr. C. de Recept. Arb.* Et hujusquam Actoris partes sunt favorabiliores *l. 12. ff. de R. l. sc. quoad merita causæ eorumq; deductionem & probationem, non quo ad ipsum processum ordinandum Vult. d. l. §. atq; in hunc n. 40. Arn. à Reig. d. l. prop. 48.* Interdum vero evenit, ut quis Actor, quis Reus sit ignoretur, sc. in Judiciis Familiæ Herciscundæ, Comm. Divid. & Fin. Regund. *l. in tribus 13. cum seq. ff. de jud* Sic in Interdictis Uti possidetis & Utrubi, quæ duplicia vocantur, uterq; tam Actoris quam Rei partes sustinet, *§. pen. 1. de Interd.*

10. Judex dictus quasi Jus dicens populo *d. c. forus.* est, qui jurisdictione aut propria aut sibi commissa potestatem habet super causis litigiorum cognoscendi. Inde alius Ordinarius est, qui propria jurisdictione jure sc. Magistratus judicat; alius Extraordinarius, qui judicandi sustinet potestatem ex voluntate Hominis; & quidem ejus vel Publici vel Privati. Publici sc. Magistratus; & tum dicitur Judex Delegatus *l. properandum §. 1. C. de Jud. Datus l. 46. ff. de Jud. Pedaneus, r. r. C. de Jud. Pedan. Specialis l. ult. pr. C. de Jud. & imaginem habere Principalis disceptationis. l. 16. C. de App. & Consult. Privati, non tamen unius sed duorum nempe inter quos lis versatur; & hic dicitur Arbitr, cumq; Conventionem privata constituitur, lite ea finita munus coemptum deponit. Dicitur etiam Compromissarius Judex *l. 41 ff. de Recept. q. arbitr. Arbitri & Arbitratores quomodo differant vide ap. Dd. Harpr. d. l. cons. cl. 29. Reig. d. l. prop. 20 Vult. n. 29.**

11. Quæ nunc Judicis boni requisita sint, paucis videre libet. Et r. Cum à Jure dicendo Judex appelletur *d. c. forus,* scire jura debet & subtilitatem legum attendere. *l. 11. C. de Jud.* Turpe enim est alicui jus in quo versatur & sedet ignorare. *l. 2. §. 43. ff. de O. I. ne per imperitiam sinistrè judicando litem suam faciat.* Nam non tantum modo litem suam Judex facit, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dicit

dicit *Ulpian*, *testel. 15. ff. de Jud.*, Sed etiam cum per imprudentiam, secundum *Justin. pr. l. de Obl. qua q. ex del. & Gajum. in l. 5. §. 4 ff. de O. & A.* Sed videntur multi iudices jura, si forte sciverunt, adeo dedidicisse, ut putent ipsorum menti esse necessario acquiescendum, si vel maxime ab æquitate & Justitia sit alienissima. Hujusmodi verò sententia quæ non à Discretionem Matre virtutum, sed à Noverca Justitiæ voluntaria sc. judicantis præcipitatione processit, *Clem. Pastoralis. vers. Verum quia, de Sent. & Re Jud.* sine viribus & irrita putatur. Judex ergo Juris peritus esse aut usu pollere debet, *Harpr. d. l. concl. 38. & 39.*

12. II. Req. Judex Recti conscientia suffultus in partem alterutrâ suis affectibus nõ debet propendere sed permittere, ut lites suo Marte decurrant. ut loquitur *l. 13. §. 9. C. de Jud. l. 12. §. 2. C. de Reb. cred.* sciturus, quod non magis alios judicet quam ipse judicetur, cû ipsi magis quam partibus terribile sit judicium. Siquidem litigatores sub hominibus, ipse autem DEO Inspectore adhibito causas proferat trutinandas, *per l. 14. in fin. C. de Jud.* Nam cum discretæ sint Personæ Judex & Actor, illi hujus partes defensare non licet; quod si fecerit, potest suspectus postulari: quodammodo enim naturale est, suspectorum judicium insidias declinare & inimicorum judicium semper velle refugere. *c. quod suspecti c. 2. q. 5.* Hinc Imp. sine suspitione vult omnes lites procedere. *l. 16. C. de Jud.* sed debet, qui suspectus est, antequam lis inchoetur, accusari *d. l. 16.* nisi suspitionis causam post litem ordinatam ut loquitur *l. 14. C. de Lib. caus.* superveniat, vel quidem erat sed à parte ignorabatur. *Gail. l. 1. Obs. 33. n. 11.* tunc enim quæ de novo emergunt novo opus habent remedio *per l. 11. §. ex causa ff. de inter in jur. fac.*

13. III. Req. Abstineat Judex à δωροφασία. Nam Avaritia omnium est Mater malorum, maximè quando non privatorum sed Judicum inhaeret animabus. *Nov. 8. in pr.* Sonet ergo in eorum auribus illud dicuntur. *ἔτε πάντα, ἔτε πάντοτε, ἔτε παρὰ πάντων.* i. e. neq; omnia neq; omni tempore, neq; ab omnibus *l. 6. §. 3. ff. de Off. Procons.* Prohibentur enim munus donū capere nisi sit esculentum præculentumve, quod intra dies proximos prodigatur. *l. Plebiscito ff. de Off. Praef. & contra jubentur ab Imp. quamvis nihil ab eis accipientes omnem supplicantibus favorem exhibere. Nov. 8. c. scriptum est. Sūbisch. Recht. de Conf. & Decur. art. 14.* Sed quid si ita sit indigens judex ut non modo publico honori par non sit, nec de suo victum sustinere possit. *per l. 6.*

de

de Mun. sed etiam propter minuta sensuum rectorum sit passurus de-
deminutionem? Paupertas quidem neminem à publicis muneribus re-
pellit, præsertim si ipsi in munere constituto superveniat; Decoctores
autem, qui suis absumptis non aliter possunt nisi ut inhiant alienis, ad
hoc divinum munus admitti non debent. Horum etenim nares si ve-
teris alicujus Phalerni aut Melonis dulcis odor afflaverit, omnem pene
recti sensum amittunt. Ei ergo qui laxus est, de eo qui depravatus aut
pretio aut gratia perperam judicaverit, vindicta non solum æstimatio-
nis dispendii, sed & litis discriminis præbetur. *l. 2. C. de pœn. Jud. qui
mal jud.*

14. 4. Req. Secundum Acta & probata debet judicare. Quando
de facto notorio agitur, tum prout religio suggerit. i. e. secundum con-
scientiam potest judicare. *per l. 79 §. 1. ff. de Jud.* aliàs secundum id
quod ei ex Actis videretur justius & melius. *Auth. hodie C. eod.* Curare
ergo debet, ut Secretarii, quæ in Judicio geruntur, fideliter excipiant, scri-
bant, scriptaq; litigantibus edant *l. 32. §. 4. C. de Appell.* Quod si cuncta
quæ litigatores instructionis probationisq; causa recitaverunt, indi-
ta vel subjecta non reperiantur, perennibus inuretur Judex *notis l. 15. eod.*
Non ergo sufficit Acta apud Judicem remanere, sed ea partibus sunt
communicanda *d. l. 32. §. 2. & 4. eod.* qui contra faciunt Judices leges
evertendo suam ignorantiam fatentur.

15. 5. Req. Auctoritatem suam Judex vilescere ne patiatur. Gravi-
tatem debet adhibere, sed lenitate temperatam, cum nihil sibi tam gra-
tum esse, quam humanitatem dicat *Imp. l. 57. C. de Episc. & Cler.* In co-
gnoscendo neq; excandescere adversus eos quos malos putat, nec pre-
cibus calamitosorum illacrymari oportet *l. 19. ff. de Off. Praef.* Nec ta-
men hæc est Gravitas, si Basilisci oculis alios enecet, si Draconico hali-
tu ipsum aerem inflammet, si crocodilino rictu omnia devoret, si ele-
phantino gradu quæq; obvia conterat; sed in eo consistit si *per d. l. 19.*
se contemni non patiatur. Alia multa Boni Judicis Requisita promiscue
apud Auctores vide. Nunc subjungimus aliquas quaestiones de his
quæ ad Judicium spectant Personis.

16. I. Quæst. An Actor sequatur Forum rei? *Aff. p. l. 3. C. Ubi in
rem. l. 3. Ubi caus. stat. l. 2. C. de Jurid. om: jud. c. 5. de for. comp. c. 16.
caus. n. q. 1.* Hæc Regula suum perdit officium in casibus exceptis. Sic
diffamatus ad suum Judicem evocat adversarium. *per l. diffamari. C.
de*

de Ing. man. Hic quamvis actor videatur, tamen rectius pro reo habetur; quia diffamatorem tanquam Actorem contra *l. un. C. ut nem. inv. ag.* ea quæ asseruit probare compellit, suumque tanquam rei forum sequi. *Gail. l. 1. Obs. 9 n. 3. & 7. Myns. c. 9. Obs. 90.* Deinde etiam fallit hæc Regula, quando propter continuum causæ de Reconventione Reus ab Actore in eodem Iudicio cautionem postulat. Nam tum ipsi cogitur Actor in foro priori respondere. *c. 2. de Mus. petis. lib. 1. Recht. tit. de Conv. & Recony. art. 3.*

17. Quæstio 2. Quotupliciter quis forum sortiatur? R. Quintupliciter 1. Ratione Originis sc. si ibi reperiat & non aliter. *Gail. lib. 2. Obs. 36. n. 11.* Nam origine propria neminem posse voluntate sua eximip *l. 4. C. de Municip.* Originis Jus mutare quis non potest, incolatus potest; quia illud naturale est, hoc civile, jura autem naturalia civilis ratio corrumpere non potest; §. *Minus ergo l. de Her. que ab int.* Hodie qui se à loco originis separat, nihil nisi nudum nomen retinet, & non modo quoad jurisdictionem, sed & munera civis prioris loci esse definit. *Gail. d. l. 2.* Ratione Domicilii *l. 2. C. de Jurisd. om. jud. c. ult. de for. comp.* sive domi sit reus sive non. *l. 4. §. Prætor ait ff. de Damno inf. c. causam de del. & cont.* & si semel cœptum sit iudicium mutatione domicilii non terminatur *d. l. 2.* Nam ubi acceptum est semel iudicium ibi & finem accipere debet. *l. 30 ff. de Jud. c. proposuisti de For. comp. 3.* Ratione Contractus. *l. 19. §. 13. ff. de Jud.* hoc eatenus, si in eo loco ubi contraxit reperiat. *c. 1. §. contrahentes de For. Comp. in 6.* Si ergo Creditor in Foro domicilii cunctantem creditorem conveniat, atque hic dicat se in loco contractus, prout convenerat, soluturum, ut modo negotium faceret creditori, ferendum hoc non est, nisi debitoris allegantis interesse ibi aliquod versetur: alias malitiis hominum indulgendum non est. *l. 38. ff. de Rei Vind. 4.* Ratione delicti *l. 1. & Auth. Qua in provincia C. Ubi de Crimin. l. 1. C. Ubi Senat c. fin. de For. comp.* Nam delictum dat Jurisdictionem ei qui alias non habet *l. 3. ff. de Off. Præs.* & licet hoc procedat tantum, si delinquens in eo loco inveniatur, ubi deliquit, *per all. text. Gail. l. 2. obs. 36. n. 14.* potest tamen Magistratus suæ jurisdictioni hic consulere, & à Collegis suis i. e. magistratibus aliorum locorum impetrare, ut factores ad se remittantur. *l. 7. ff. de Cust. & exh. reor. l. 7. §. ult. ff. de Acc. 5.* Ratione rei. *l. fin. C. ubi in rem c. sane & c. ult. de Foro Comp.* Est tamen in Actoris arbitrio aliquibus ex his concurrenti-

bus eligere, ubi reum velit convenire. per l. 3. ff. de eo quod certo loc. *Wesemb. tit. de Jud. ff. n. 16.*

18. Hinc Quæretur 3. Quis sit, Judex competens? Coincidit hæc quæstio cum precedenti & ex ea satis informatur *Lübisch Recht. tit. de Con. & Recon. art. 4.* statuit quod nemo ex civibus suum concivem possit in alio judicio convenire, quam quod habet Lubecæ sub pœna gravi & causæ amissione.

19. Q. 4. An Judex possit in propria causa jus dicere? *N. p. l. un. C. Ne quis in sua caus.* iniquum enim hoc esse *Ulp. testatur l. 17 ff. de Jud.* & hoc extenditur ad conjugem, liberos, libertos &c. *l. 10. ff. de Jurid.* nisi privata sint negotia: nam in iis & Pater filium & Filius Patrem habere etiam judicem potest *l. 77. ff. de Jud.* Quibus vero casibus alias liceat vid *Vult. l. 2. c. 1. n. 30. Harp. disp. 1. concl. 46.* Sic quando injuria Judici est facta ut Judici, & ea notoria est, propria autoritate potest punire, *c. 1. de pœnis in 6. l. illud 3. ff. de Appell.* Sed tunc non tam suam causam agit, quam publicam; cum Magistratus nomine munus illud sustineat. Hactenus de Personis.

20. Nunc ad Judicium ipsum. Hujus partes diversimode constituuntur à *Dd. Wesemb. tit. de Jud. C. n. 4.* tres constituit partes. Primam Mediam & Tertiam. *Vult. l. 2. c. 27. §. Horum autem,* quod eodem recidit, dicit alia esse disceptationis, alia decisionis.

21. Disceptationis ea sunt, quæ examinandæ Controversiæ causa fiunt: huc pertinent omnia usq; ad sententiam. Decisionis ea sunt quæ controversiæ terminandæ & exequendæ causa fiunt. *Vult. d. l.* Et disceptationis causa quæ fiunt alia sunt, Præparatoria, alia ipsius Judicii. Quæ ad hoc spectant de iis hac vice propter materiæ amplitudinem nobis sermo non erit.

22. Præparatoria Judiciorum sunt, quæ fiunt usq; ad Litis contestationem; & in iis duo sunt, quæ ad Judicii formam constituendam necessario requiruntur, ut, nisi interveniant, nullum sit futurum Judicium, vid. Editio Actionis & Citatio. De his ergo quod superest breviter animus est disquirere.

23. Actionis Editio est futuræ litis designatio. *Vult. d. c. 27. §. Cujusmodi,* vel jus & Intentio agentis qua species & imago futuræ litis exhibetur. *Harp. disp. 2. concl. 2.* Hæc olim fiebat adversario, hodie fit judici, cum petitione, ut sibi contra adversarium citatio & processus discernantur. *Vult. d. l.*

24. Edi-

24. Editio dupliciter fit i. per libellum supplicem seu supplicatio-
nis pro decernenda citatione & processu; & hic libellus Citationis &
Processuum appellatur, inq; eo summarie saltem controversia recenset-
tur, fitq; ante citationem, *Treit. v. 1. disp. 4, th. 2. Schwarzenhal l. 1.*
de Proc. jur. act. 1. c. 1. Vult. d. l. neq; semper, præcipue in levioribus ne-
gotiis & quæ summarie expediri possunt, libello scripto indigemus, sed
sufficit viva voce petitionem proferri & ad Acta reponi; prout hoc usus
docet & Jura loquuntur, Nov 17. c. 3. c. 45. caus. 11. q. 1. In judiciis vero
ordinariis & accusationibus criminalibus nunquam sine scriptura pro-
cedere licet d. c. 45. c. 1. de lib. Obl. Harp. disp. 2. concl. 3. & seq. 2. Per
libellum Actionis & Meritorum: hic post citationem ex priori for-
matus offertur; & ille etiam ante citationem offerri potest, ita ut priori il-
lo libello semper opus non sit, sed ut in termino comparitionis repro-
ducatur, necesse est, Vult. d. c. 27. Alterutro horum modorum libello
oblato iudex cognoscit, an Actoris petitum audiri & Citatio ac Proces-
sus decerni debeat nec ne, Vult. d. l. §. Utrocunq;.

25. Circumspecte ergo hic agat Iudex, nec ad improbi cujusq; liti-
gatoris, ut loquitur §. 1. *J. de pœn. rem. lit.* ac vilissimi capitis, cui sæpe
domi nihil est quod agat, instantiam quemq; sine discrimine citari fa-
ciat, simulq; examinet, an etiam Ipsius Jurisdictio ad eam personam,
quæ sæpe calumniis defertur, se extendat; ne dum vocatus comparere
recte recusat, ipsius authoritati aliquid derogari videatur. Nam supra
Jurisdictionem suam judicenti, impune non paretur, *l. ult. ff. de jurad.*
Gail. l. 1. Obs. 48. n. 9. Vult. l. 2. c. 28. §. Primum. Indubio autem
comparere citatus debet & incompetentiam allegare *secund. dd. Auctores.*

26. Hujusmodi Editio Actionis eadem est in Judiciis tam civilibus
quam criminalibus, nisi quando fama pro homine accusat, & per in-
quisitionem Processus instituitur. Hæc autem fit quando de aliquo est
suspicio aut in ore omnium est quempiam aliquod crimen commisisse.
Hunc processum plerumq; comitatur Custodia, ad hoc ne delicti con-
scientia reus affugiat, *Vult. 2. c. 27. in fin.* Sed videas hic nimium sæpe
curiosos esse iudices, ut propter leviculum aliquod admissum, scilicet
si homini subterraneo unus alterve capillus turbatus fuerit, eos qui
hoc fecerunt, aut forte olfecerunt fieri, in carcerali custodia jubeant de-
tineri: sed contra jura hoc fit, & non potest, quin rubore suffundatur
Iudex quoties hujusmodi inexcusabilis admissi ipsi redit memoria.

27. Quando hoc, ut dixi. modo edita Judici est Actio, Actorisq; petitum legale esse visum est, citatur ad Judicium Reus, & hoc principium esse Judicii seu instituendarum Actionum ait *Imp § ult. f. de pæn tem. litig. c. 11. de Probat.* Nam alias omnis actus judiciarius contra non citatum celebratus ipso jure nullus est & invalidus, *l. 39. ff. de Adept. l. de unoquoq; ff. de Re Jud. Gail. l. 1. Obs. 48. n. 2.* adeo, ut nec contra inauditum princeps aliquid possit definire *c. 1. de Caus. Poss.* cum illa quæ Juris Naturalis sunt, ut est defensio, Imperatori tollere non liceat, *Clem. Pastoralis vers. Caterum de Sent. & Re Jud.* Evenit tamen ut Citationem præcedere interdum necesse non sit; prout hoc declarant *JCri: Vult. c. 28. §. Cum autem Citatio, Harp. Disp. 1. concl. 144.*

28. Differt autem Jure Veteri Citatio ab in Jus Vocatione. Nam hæc hæbat à parte; Illa à Judice per apparitorem vel aliquem alium modum: Hæc privata auctoritate non requisito judicis auxilio; Illa publica auctoritate: hæc sæpe aliqua violentia; Illa ni summa aliud jubet necessitas, verbis jubentibus: Hæc ante omne judicii exordium, Illa factò per actionis editionem quodammodo initio. Permissum ergo olim erat violentia aliqua in jus rapere, ducere trahere ut loquuntur *ll. sine venia jussuq; Judicis, Wesemb. ff. de In Jus voc. n. 12. Vult. l. 2. c. 28 in pr.* Hodie in Jus vocare & citare confunduntur.

29. Est autem Citatio Actus Judicii preparatorius, quò is, quem in judicio sisti opus est, mandato Judicis in Judicium vocatur, Juris experiendi causa, *Wesemb. b. t. ff. n. 13. C. n. 2. Harpr. d. l. concl. 143. Arn. de Reig. disp. 2. prop. 8.* & hæc decernitur vel ad petitionem partis, vel ex Officio judicis, *Reig. d. l. prop. 10. Vult. c. 28. §. quæ regulariter,* nec saltem litigantes, sed præter illos etiam alii, quos in judicio comparere necesse est, citantur *Vult. d. l.*

30. Examinanda nunc venit Citatio vel secundum species, vel secundum partes. Secundum species dupliciter dividitur. 1. Ratione Formæ est vel Realis vel Verbalis. Realis, qua personæ vel bona earum propter aliquam justam causam apprehenduntur & arrestantur, *c. si clericos 11. de Sent. Excom. in 6. l. 13. §. 2. ff. de Injur.* Hæc regulariter tantum fit in criminalibus, rarius in civilibus; scilicet ex urgente causa, puta si reus aut debitor defuga suspectus sit: nam tum privata auctoritate licet eum capere; per *l. ait Prator 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred. l. Generali 39. C. de Decur. Harpr. d. l. Concl. 147. & seq. Wesemb. b. t. Vult. d. l. §. Realis,* adeo

adeo, ut talis persecutio & apprehensio etiam fieri possit die, quæ cultui divino est dedicata, *Bald. in l. sicut proponis 3. C. Quom. & quan. jud.* ad illum scilicet effectum, ut det fidejussorem de solvendo vel stando juri. *Gail. 2. Obs. 44.*

31. Verbalis est, quæ fit vel voce vel scripto. Voce iterum vel Privata; cum per apparitorem aut ministrum publicum in faciem vocandi, vel alterius, qui ad ipsum spectat, fit denunciatio: vel Publica; & tum voce vel Vera, sc. per Præconem aut Carnificem, vel Quasi, ut per Tubam aut Campanam. Scripto; idq; iterum continet vel Privatam denunciationem literis scilicet consignatam & sigillatam, cujus copia vocato insinuatur, originali cum documento Insinuationis plerumq; ad Acta relato. vel Publicam, scilicet per Edictum curiæ vel portis vel valvis templorum aut aliis celebrioribus locis affixum. *Clem. 1. de Jud.* De his vide *Wesemb. ff. n. 13. h. t. Vult. d. l. §. Publica Citatio. Harpr. d. l. coucl. 150. & seq.* Quæ per scriptum fit, ibi debet manifestari, vel ubi vocatus domicilium habet, vel ubi plurimum versari solet, vel unde commodissime ad ipsius notitiam citatio pervenire possit. Si extra vocantis territorium hoc fieri debeat, à Magistratu alterius territorii est venia impetranda, *Vult. d. l.*

32. Dividitur II. Ratione Effectus, quod alia sit Simplex alia Peremptoria. Simplex est, quæ in se habet dies 10, intra quos si vocatus non compareat, secunda; si nec tum, tertia vice citatur, dicitur alias dilatoria; Inde etiam ternis literis, *l. 8. C. quom. & quand.* per tres vices *l. Properandum 13. C. de Jud.* tribus edictis, *l. 53. ff. de Rejud.* fieri dicitur *Wesemb. d. l. Vult. d. l. §. Altera distributio.* Peremptoria est, postquam nulla amplius citatio emanat, sed vocato emanente contra ipsum in contumaciam proceditur, *Vult. d. l.* Olim ad Peremptoriam citationem ita deveniebatur, ut tria præmitterentur spacia *l. 63. & 70. ff. de Jud.* & quodlibet ex iis contineret ad minimum dies decem *l. 69. eod.* & his propositis impetrabatur peremptorium *d. l. 70.* Sed postea hoc immutatum, ut peremptoria citatio statim possit decerni, si tot dies in se contineat, quot alia tres simplices essent habitura; scilicet 30, ut patet, *ex d. l. 8. C. quom. & quand. d. l. 53. ff. de Rejud. l. 72. ff. de Jud.* Quæ alias sint Citationum species vide apud *Dd. Wesemb. C. de in Jus voc. n. 5.*

33. Secundum partes citatio quando distribuitur, duo hic sunt attendenda 1. Ejus conceptio 2. Conceptæ expeditio. In Conceptione sex

potissimum attende. 1. Nomen & Cognomen Judicis Citantis præmit-
tatur. *l. 80. ff. de Jud.* idq; ad hoc, 1. ut citatus cognoscere possit, an a
judice competenti sit vocatus; cum supra jurisdictionem citanti impu-
nè non pareatur. *t. t. C. si a. non comp Jud.* 2. An jussu Judicis citatio
emanaverit *l. fin. C. de Exh. Reis.* 3. An Judex sit ordinarius; an vero de-
ligatus. Nam hic non potest, nisi copiam delegationis transmit-
tat, ad parendum aliquem arctare *c. 31. de Off. Deleg. Treut. disp. 4. tb. 13.*
lit. a. Vult. c. 28. n. 22. Gail. l. 2. Obs. 48. n. 19. Bachovij ad Treut. d. l.
Criticus Spiritus hic putat, Judicis solum nomen sufficere; sed fallit egre-
gie. Nam si ad Marcum sit aliquis citatus, scire non potest, an ad Cato-
nem, an ad Ciceronem sit veniendum. Idem de nostris temporibus
judicandum.

34. 2. Nomen & cognomen Citati in Citatorio exprimat, ne lo-
cus fraudi forsitan relinquatur, *per c. 2. de Rescr. in 6.* si plures sint quos
ad judicium venire opus est, sub Generali Consortum nomine citatus
comparere non tenetur; *Vult. d. l. n. 26.* quod si unus citatur pro alio, dum
plures eodem gaudent nomine, tunc si compareat is qui non erat ci-
tandus, condemnari debet Actor in expensas tanquam temerarius liti-
gator. *§. 1. vers. Hæc omnia de pæn. tem. lit. Gail. Obs. 49. Treut. d. l.*
lit. b. In citando autem Collegio, Universitate & Civitate sufficit cita-
tionem generaliter formari, ita; Citamus Consules aut Senatores Civi-
tatis N. &c. *Reig. disp. 2. prop. 19.*

35. 3. Nomen & Cognomen ejus, ad cujus petitionem Citatio de-
cernitur *c. ult. de Rescr.* ad hoc sc. 1. ut citatus, de eo qui ipsum citari
fecit, certus esse possit, atq; hinc secum deliberare, utrum cedere debeat
an contendere. Nam si cum pluribus citato res est, evenire potest, ut uni
causæ magis confidat quam alteri: cum vero non est Actoris adjectum
nomen, nescit ad quam sit causam citatus. 2. ut citatus intelligere que-
at, an ad partis instantiam, an ex officio judicis sit facta citatio. Nam or-
dinarie Judex non impertit officium suum nisi imploratus. *Vult. d. l. n.*
27. Gail. Obs. 50. Reig. & Treutl. dd. h. Wesemb. C. de in Jus voc. n. 10.

36. 4. Causa, ob quam citatur quis, allegari debet. *c. praterea de*
Dilat. generaliter eam exprimi sufficit, nec ut totus libellus inferatur ne-
cesse est, ut communiter sentiunt *Dd. Bart. in l. inter Accusatorem ff. de*
Publ. Jud. n. 6. Gail. Obs. 51. Hic quæstio oritur An ad certam causam
citatus, si compareat, compelli possit, ut ad aliam causam, ad quam cita-
tus

tus non est, respondeat? Dissentiunt hic Jcti *Treut. d. l. lit. d* negat, propter hanc solum rationem, ne expressionis causæ ritus & utilitas tollatur. Alii asserendo respondent idq; litium finiendarum gratia receptum dicunt, & hanc apparet esse communiorem. *Arn. à Reig. d. l. prop. 20. Gail. d. l. n. 7.* cum quibus facit *Baceb. ad Treut. disp. 4. th. 3. l. D. v. An verò ad certum.*

37. 5. Locus ad quem citetur, *l. 21. §. 10. & 11. ff. de Recept. qui arb.* interest enim citati scire, an locus sit tutus; nec enim quis ad mortem per violentam injuriam non per justitiam inferendam ultroneum se offerre tenetur. *Clem. Pastoralis vers. Notorium de sent. & Re jud.* deinde an sit honestus Nam si in aliquem locum inhonestum; puta in popinam aut lupanarium Judex adesse jusserit, sine dubio impune ei non parebitur. *d. l. 21. §. 11.* tum etiam an sit à contagionibus purus. Nam valetudinis ac salutaris est etiam habenda ratio *l. 7. ff. ad Sc. Trebel.*

38. 6. Tempus seu Terminus quo citatus comparere debeat. *c. con. suluit. 23. de Off. deleg.* ut sciri possit an dies ad quem citatus est sit Juridicus; nam ad feriatum non tenetur comparere *l. 2. in fin. ff. si quis in jus voc. non fer.* sufficitq; si die sequenti non feriata citatus veniat, *Gail. Obs. 53. n. 1. & seq. Vult. d. l. n. 33.* Nam cum insinuatio citationis propter loci distantiam & nunciorum tarditatem non sit in manu judicis, à tempore autem insinuationis terminus comparitionis currere incipiat, hinc præcise an feriatum an profestus sit futurus dies comparitioni dictus, sciri non potest. *Gail. d. l. Horam diei adjici* necesse non est, sed frequenti Judiciorum formula, *zu früher Tage Zeit* hoc expediri potest *Reig. d. l. prop. 20. lit. c.* Debet autem præfigi sufficiens terminus, pro ratione loci & temporis. Nam tempore hyemis, qua molesta dierum brevitatis difficilia facit itinera, non sufficit tam breve spacium, quam tempore æstivo. Ratione loci quoq; moderatio est adhibenda *per l. 1. C. de Dilat.* Et hæc ad Conceptionem requiruntur.


39. Citationis Expeditio his tribus capitibus absolvitur. 1. Commissione Judicis. ut enim Judex Citationem, nisi pars eam fieri petierit, non decernit, ita nuncius eam decretam non exequitur nisi commissio ei facta sit. *Vult. d. l. n. 36. Gail. Obs. 54. in pr.* Nec obest quod *Baceb. ad Treut. b. l. th. 4. l. A.* dicat commissionem hanc de essentia citationis non esse, propterea quod veteri Jure in Jus vocatio sine commissione & Jussu Judicis fieri poterat. Nobis enim, ut & *Treutl. & aliis Dd. de ea*
saltem


saltem citatione sermo est, quæ novo Jure sit. 2. Commissionis Executione, quæ etiam Insinuatio dicitur, & fieri debet ipsi qui vocatur, non alii, si modo conveniendi ipsius facultas datur. Sed quid si citandus inveniri nequeat? Tum ad ejus domum est facienda, vel ibi est ea affigenda, ubi versari promiscue solet, vel unde ad ejus notitiam commodius possit citatio pervenire. *Vult. d. l. Treult. d. l. lit. C.* Sed utrum Nuncio viva voce citanti credatur, quæstionis est? Quamvis hoc videatur dicendum, quia propter electam personæ fidem & juramenti religionem verbis ipsius habeatur fides. *Wesemb. ff. b. t. n. 13. Gail. d. l. n. 4.* Tamen hic distinguendum putant, inter Executionem citationis, de qua apud Judicem testatur; & in hac ei creditur: & inter probationem commissionis, quæ apud partem Citandam est facienda; de hac tanquam facto non suo, sed alieno testificanti non creditur nisi id probet. *Gail. d. l. n. 5.* 3. Executionis Relatione, qua quid vocatus responderit, & quæ alias circa Executionem citationis gesta sunt, ab Executore nunciatur, eaq; ad Acta registrari debet, adeo ut nisi ex Actis eam factam esse appareat, non valeat Citatio *Treult. d. l. Wesemb. d. l. Vult. cit. l. n. 41.*

40. His ita expeditis aut præfractæ citatus emanet, & tum ejus Contumacia pro præsentia est; *Autb. Qua in provincia C. Ubi de crim. & judex exequitur, quod minatus fuerat in peremptorio, se sc. etiam diversa parte absente cogniturum & pronunciaturum. l. 71. ff. de jud. in tantum, ut, si hoc modo condemnatus appellet, non debeat audiri l. 73. fin. eod.* Aut paret factæ Citationi, & tum reliqua quæ ad Judicii formam pertinent, sequuntur. Claudat hunc nostrum Discursum aureum illud Augustini *c. 10. dist. 35.* Qui Dei Judicia oculis suis proponit, semper tremens & tremens in omni negotio formidat, ne de Justitiæ tramite devians cadat, & unde non justificatur inde potius condemnetur.

Et sic
Summo Judici Deo.
sic
Laus Honor & Gloria.







15. ff. de Jud. Sed etiam cum per imprudentiam, se
de Obl. qua q. ex del. & Gajum. in l. 5. §. 4. ff. de O.
multi iudices jura, si forte sciverunt, adeo dediticisse,
menti esse necessario acquiescendum, si vel maxime
a sit alienissima. Hujusmodi verò sententia quæ non
virtutum, sed à Noverca Justitiæ voluntaria sc. ju-
one processit, Clem. Pastoralis. vers. Verum quia, de
e viribus & irrita putatur. Juxta ergo Jurisperitus
lebet. Harpr. d. l. concl. 38. & 39.

Recti conscientia suffultus in partem alterutrâ suis
propendere sed permittere, ut lites suo Marte decur-
§. 9. C. de Jud. l. 12. §. 2. C. de Reb. cred. sciturus, quod
et quam ipse judicetur, cū ipsi magis quam partibus
Siquidem litigatores sub hominibus, ipse autem
ibito causas proferat trutinandas, per l. 14. in fin.
m discretæ sint Personæ Judex & Actor, illi hujus
n licet; quod si fecerit, potest suspectus postulari:
a naturale est, suspectorum judicium insidias decli-
judicium semper velle refugere. c. quod suspecti c. 3.
e suspicione vult omnes lites procedere. l. 16. C. de
spectus est, antequam lis inchoetur, accusari d. l. 16.
sam post litem ordinatam ut loquitur l. 14. C. de
iat, vel quidem erat sed à parte ignorabatur. Gail.
ne enim quæ de novo emergunt novo opus habent
ex causa ff. de inter in jur. fac.

lineat Judex à δωροφασία. Nam Avaritia omnium
maximè quando non privatorum sed Judicium in-
Nov. 8. in pr. Sonet ergo in eorum auribus illud di-
ste, ἕτε πάντοτε, ἕτε πρὸς πάντων. i. e. neq; omnia
neq; ab omnibus l. 6. §. 3. ff. de Off. Procons. Pro-
us donū capere nisi sit esculentum proculentumve,
ximos prodigatur. l. Plebincito ff. de Off. Pras. &
Imp. quamvis nihil ab eis accipientes omnem sup-
exhibere. Nov. 8. c. scriptum est. Sūbisch. Mecht. de
14. Sed quid si ita sit indigens iudex ut non modo
non sit, nec de suo victum sustinere possit. per l. 6.

de